

nur, acceptum ferimus: itaque cum uerè diuina omnium-  
que præstantissima hæc uirtus sit, haud mirum est, si cum  
in aliis hominum ordinibus, tum uerò in delectu sacerdo-  
tiorum: qui princeps est, & ordo in terris eminentissi-  
mus, eius eximia habetur ratio. Cuius rei fidem uel tu  
unus Card. Illustrissime astruere potes: in quo religio ip-  
sa sese admirabilem adeo, atque spectandam in omni ui-  
tæ cursu exhibuit: ut eius potissimum gratia te à Summo  
Pontifice P I O Quinto in augustissimum illum Ecclesiæ  
procerum, ac principum senatum cooptari contigerit,  
atque ita cooptari, ut eam dignitatem tibi ille non quasi  
concupitam concessisse, sed ueluti debitam perfoluisse ui-  
sus sit. Si quidem præter eam, quæ in te summa est, eru-  
ditionem, rerum prudentiam, integritatem, iustitiam, fi-  
demque, ita religione, ac ueræ pietatis studiis polles, ut  
cæterarum uirtutum, & huius in primis ornamentis ne-  
mo tibi sit præferendus: atque inde effectum est, tantam  
esse, tamque conspicuam tui clarissimi nominis lucem,  
ut illius uel extremas terras fama peruaserit, nec quisquam  
ferè sit quantum uis tibi obsequio, aut familiari consue-  
tudine disunctus, qui te sibi non mirificè colendum, non  
pectore, oculisque ferendum, non tanquam numen ue-  
nerandum existimet: ex horum omnium numero cum ip-  
se sim, non sum passus, ut, quod iam dudum animo con-  
ceperam, obseruantia erga te meæ non testimonium ali-  
quod tandem ostenderem. Dilucidationes hæc meas  
in obscurissima Aristotelis loca amplitudini tuæ consecra-  
re libuit, qua in re si satis operæ tuo grauissimo, ac sapien-  
tissimo iudicio, satisque studii posuisse uisus fuero, peto  
abs te, ut lucubrationibus meis, contrà falsi rumoris in-  
uidiam tui gloriosissimi nominis faueat auctoritas: quò a-  
lia itidem à me eidem tuo nomini nuncupanda non mino-  
ri studio excogitata, atque elaborata eruditorum homi-  
num